



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Vtraque difficultas resolvitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

DISPUTATIO PRIMA.
DE EXISTENTIA ET QUIDDITATE
voluntatis Dei.



Um voluntas ad intellectum, tanquam ad rationem à priori, & causam virtuales, consequatur, post considerationem scientiæ Dei, & aliorum attributorum ad intellectum pertinentium, convenienter agit S. Doctor de voluntate Dei, ejusque affectibus; & quia quæstio an est, præsupponi debet ad quæstionem quid est, ut docet Aristoteles in libris Posteriorum, art. 1. hujus quæstionis 19. querit an in Deo sit voluntas; Illius vestigiis inhærentes, priusquam divinæ voluntatis quidditatem, & objectum exponamus, ejus existentiam breviter demonstrandam esse censuimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An in Deo sit voluntas, eaque se habeat per modum potentiæ?

§. I.

Vtraque difficultas resolvitur.

1. **D**ico primò: Stando tam principiis fidei, quam luminis naturalis, negari non potest esse in Deo voluntatem.
- Prima pars conclusionis colligitur ex variis Scripturæ locis, in quibus passim voluntas Deo attribuitur. Ad Romanos 12. *Vi probetis quæ sit voluntas Dei.* Matthæi 6. & 26. *Fiat voluntas tua.* Psalmi 103. *Omnia quæcumque voluit fecit.* Machabæorum 3. *Sicut fuerit voluntas in caelo, sic fiat.* Item Spiritum Sanctum credimus per voluntatem divinam procedere; & in pluribus Conciliis contra Monothelitas definitum fuit, in Christo duplicem esse voluntatem, humanam scilicet, & divinam.
2. Secunda pars multiplici ratione demonstrari potest. In primis enim ut discurret S. Doctor 1. contra Gentes cap. 72. omne intelligens bonum est volens, id est potens velle, cum bonum intellectum sit objectum voluntatis: Atqui Deus est intelligens non solum ens, sed etiam bonum, cum sit perfectissimè intelligens, & consequenter illius cognitio non sinit in ente, sed etiam entis bonitatem attingat: Ergo est volens.
3. Secundò, Deo, ut perfectissimo agenti, convenire debet perfectissima ratio cauendi: Sed ratio cauendi per voluntatem, est multo perfectior, quam ratio agendi per naturam; agens enim naturale non agit cum dominio suorum actuum, nec seipsum dirigit in finem, sed ab alio dirigitur, sicut sagitta à sagittario; è contra verò agens voluntarium & liberum, habet dominium suorum actuum, & seipsum dirigit in finem: Ergo Deo tribui debet ratio cauendi per voluntatem.
4. Tertiò, Omnis perfectio quæ in creaturis reperitur, est formaliter in Deo, si possit ab omni

A imperfectione præscindi: Sed voluntas convenit creaturis intellectualibus, & aliàs potest ab omni imperfectione præscindi, non minùs quam intellectus, ut constabit ex solutione argumentorum: Ergo formaliter reperitur in Deo.

Denique, dari in Deo voluntatem probat S. Thomas hic art. 1. & 1. contra Gentes cap. 72. ex eo quòd voluntas sequitur intellectum: Ergo sicut in Deo est formaliter intellectus, ita & in ipso formaliter debet esse voluntas. Consequentia patet, Antecedens probatur. Ad omnem formam sequitur aliqua inclinatio ad bonum, conveniens ratione illius, ut constat in forma ignis, ad quam sequitur inclinatio ad locum sursum: Ergo ad formam intelligibilem sequitur inclinatio ad bonum rationi conveniens, quæ voluntas, seu appetitus rationalis, appellatur.

B Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio. Duplex datur appetitus in nobis: unus innatus, alter elicited. Primus est inclinatio, & propensio in bonum, absque cognitione illius: qualis est appetitus materia ad formam, & lapidis ad centrum. Secundus vero est qui sequitur ad cognitionem; & quia est duplex cognitio, sensitiva scilicet & rationalis, duplex est etiam appetitus elicited: alius sensitivus, qui sequitur ad cognitionem sensitivam, qualiter bruta ex cognitione sensitiva objecti propositi illud appetunt, & querunt: alter rationalis, qui sequitur ad cognitionem intellectivam, qualiter reperitur in homine, qui cognito per intellectum objecto bono, elicit amorem illius; & hic appetitus appellatur voluntas, ut constat ex Philosopho 1. Rethor. ubi definiens voluntatem, dicit eam esse appetitum boni, cum ratione, hoc est ratione apprehensum: Cum ergo in Deo sit intellectus, & perfectissima boni cognitio, in illo pariter debet esse voluntas.

C Dices, Sufficit intellectus ut natura rationalis inclinetur in suam perfectionem: Ergo ad talem inclinationem non requiritur voluntas, seu appetitus ab intellectu dimanans, & ab eo distinctus. Consequentia patet, Antecedens probatur. Quæcumque potentia animæ naturaliter inclinatur in suum objectum, ut docet S. Thomas infra quæst. 80. art. 1. ad 4. Ergo intellectus habet inclinationem ad omnia quæ intelligi possunt, sicut visus ad omnia quæ possunt videri.

D Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, distinguo Antecedens. Sufficit intellectus ut natura rationalis inclinetur in suam perfectionem, incompletè & inadæquatè, concedo Antecedens: completè & adæquatè, nego Antecedens, & Consequentiam. Nam cum natura rationalis non solum inclinetur in res alias, trahendo illas ad se per species proprias in esse intentionali; sed etiam inclinetur in illas, per modum ponderis & inclinationis in ipsas, secundum suum esse proprium & reale; licet ad primum sufficiat intellectus, non tamen ad secundum, sed requiritur voluntas, quæ inclinetur na-

tara tendendo secundo modo ad esse reale rerum; unde si sic non inclinatur, non ponitur in illa inclinatio omnis sibi competens, secundum completam & adequatam rationem sibi connaturaliter possibilem.

9. Dico secundo: Voluntatem divinam, in ordine ad volitionem essentialem, non habere rationem potentiae, ex parte rei conceptae, sed solum ex modo nostro significandi, & concipiendi res divinas per similitudinem, & analogiam ad res creatas.

Probatur conclusio ratione fundamentali. De ratione potentiae est quod sit principium per se influens in operationem: Sed voluntas in Deo non potest esse, nec concipi cum fundamento in re, ut principium influens in volitionem divinam: Ergo non potest habere rationem potentiae per ordinem ad illam. Major est evidens, Minor probatur. Ad influxum potentiae in actum, requiritur distinctio formalis, aut saltem virtualis, inter utrumque: Sed voluntas divina, nec formaliter, nec virtualiter distinguitur à sua volitione: Ergo nec esse nec concipi potest cum fundamento in re, ut principium influens in illam. Major patet, Minor probatur. Cum voluntas in Deo sit actus purissimus, & omnis potentialitatis expertus, debet concipi ut includens formaliter in suo conceptu ultimam suae lineae actualitatem; alioquin conciperetur ut in potentia ad illam, & sic non conciperetur ut actus purissimus, sed ut potentialitati admixtus: unde cum volitio sit ultima actualitas lineae volitivae, divina voluntas debet concipi ut illam formaliter includens, & identificari cum illa, absque distinctione etiam virtuali.

10. Dices, Ad rationem actus purissimi sufficere quod sibi realiter identificet ultimam suae lineae actualitatem, nec requiri quod eam formaliter in suo conceptu explicet: ut constet in essentia divina, quae sine attributorum expressione intellecta, concipitur ut actus purus, eo quod illa implicitè saltem includat, & cum illis realiter identificetur.

Sed contra: Actus purissimus debet constitui & concipi modo imaginabili purissimo & perfectissimo: Sed perfectior ac purior concipitur divina perfectio, quando intelligitur ut exprimens ultimam suae lineae actualitatem, quam dum intelligitur ut implicitè solum eam includens: Ergo ad rationem actus purissimi requiritur expressio ultimae actualitatis propriae lineae, licet non requiratur expressio aliorum pertinentium ad distinctam lineam. Unde patet disparitas ad exemplum adductum, cum enim attributa divina non pertineant ad lineam essentiae seu naturae, sed sint veluti quaedam proprietates & affectiones ad illam consequentes, in essentia divina salvatur ratio actus purissimi, cum sola inclusione implicita attributorum; secus autem in voluntate divina, cum volitio sit ultima actualitas lineae volitivae.

Disput. 2.
art. 3.
Conclusio etiam patet ex dictis in Tractatu de natura Dei, ejusque attributis, ubi ostendimus, intellectum divinum non habere rationem potentiae respectu divinae intellectiois: probationes enim quae ibi adducuntur, aequè probant de voluntate, & de volitione, ac de intellectu & intellectioe, mutatis nominibus; unde ne eadem repetantur, ad praedictum locum Lectorem remittimus.

11. Advertendum est autem, me dixisse volunta-

tem divinam non habere rationem potentiae per ordinem ad volitionem essentialem; quia voluntas divina dupliciter considerari potest, scilicet essentialiter, & ut praecise dicit ordinem ad objectum, & sicut intra ipsum Deum: secundo pro ut dicit habitudinem producentis ad productionem, vel productum, sive ad intra, nempe ad inspirationem & Spiritum Sanctum; sive ad extra, nimirum ad creationem & creaturas. Primo modo non habet rationem potentiae, quia nec formaliter nec virtualiter distinguitur à volitione, bene tamen secundo modo, quia sub hac ratione connotat terminum ad intra vel ad extra productum, & realiter aut virtualiter ab illa distinctum, ut colligitur ex D. Thoma infra quaest. 25. art. 1. ad 3. ubi ait: *Potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed effectus: sic igitur in Deo salvatur ratio potentiae, quantum ad hoc quod est principium effectus, non quantum ad hoc quod est principium actionis, nisi forte secundum modum intelligendi.*

§. II.

Solvuntur quaedam objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem. In Deo non potest esse voluntatis objectum: Ergo nec voluntas. Consequentia patet. Antecedens probatur. Objectum voluntatis est finis: Sed nulla perfectio in Deo existens potest habere finem, cum finis sit realis causa, & nihil formaliter in Deo existens possit dependere à causa; Ergo in Deo non potest esse voluntatis objectum.

Respondeo cum D. Thoma hic art. 1. ad 1. negando Antecedens, ad cujus probationem, distinguo Majorem. Objectum voluntatis est finis volitorum à voluntate, vel ipsius voluntatis, concedo Majorem: voluntatis semper, nego Majorem, & concessa Minori, nego Consequentiam. Nam licet voluntatis divinae nequeat esse aliquis finis, volitorum tamen ab ipsa, finis est divina bonitas, quae est objectum primum voluntatis divinae, & finis ultimus creaturarum, quas secundario voluntas divina attingit, & hoc sufficit ut in Deo sit voluntas; sicut ad hoc ut scientia reperitur in Deo, sufficit esse per causam ex parte objecti, etsi non ex parte scientiae.

Objicies secundo: Voluntas idem est quod appetitus: Sed in Deo non est appetitus: Ergo nec voluntas. Probatur Minor: Appetitus est boni non habitus, ac proinde supponit carentiam boni appetitum terminantis: Sed in Deo carentia boni non est, cum carentia bonitatis, sit carentia perfectionis, quae Deo convenire non potest, alias summè perfectus non esset: Ergo in Deo non est appetitus.

Respondeo cum eodem D. Thoma ibidem in responsione ad 2. non omnem actum voluntatis esse appetitum, solum enim voluntas rei non habitus, proprie dicitur appetitus, ut docet Augustinus super Psalmum 118. Cum ergo bonum divinum, perfectissimè habeatur à Deo, in eo proprie appetitus non est, bene tamen voluntas, eo perfectior, quo magis cum objecto suo conjuncta.

Objicies tertio: Voluntas movetur à volito, ut constat ex Aristotele 3. de anima textu 54. Sed Deus, cum sit primum movens, & actus purus, à nullo movetur: Ergo in Deo non est voluntas.

Respondeo